

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8688

Auteur(s) : Jean, Châtellerauld (vicomte)

Bénéficiaire(s) : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1263, avril

Action juridique : échange

Langue du texte : latin

Analyse

CHARTRE DE JEAN VICOMTE DE CHASTELERAUD BARON DE SONNOIS, ETC. — Jean, vicomte de Châtellerauld et baron du Sonnois, donne à Perseigne une rente annuelle de quatre livres tournois à percevoir sur Peray, en échange d'un droit de pêche dans l'étang de Guéchaussée. Avril 1263 ou 1264.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n° XXIV, p. 64-65.

Dissertation critique

Avril 1203 (ou 1264) : Pâques tombe le 1er avril en 1263 et le 20 avril en 1264.

Texte d'après a

Universis presentes literas inspecturis, Johannes vicecomes Castriheraudi et dominus sagonensis salutem in Domino. Noveritis quod cum viri religiosi, abbas et conventus Beate Marie de Persenia haberent et possiderent duas piscarias singulis annis in stagno meo Vadi-Calciati, unam scilicet in festo Sancti Johannis ante portam Latinam, et aliam in Inventione Sancti Stephani prothomartyris, ex donatione et eleemosyna bone memorie Roberti quondam comitis Alentionis, avunculi patris mei, domini dicti stagni, pro pitancia conventui supradicto facienda diebus superius nominatis ; ego Johannes superius nominatus, de consensu et voluntate dictorum religiosorum, pro dictis duabus piscariis quas ipsi mihi penitus dimiserunt, assignavi eisdem in escambium dictarum piscariarum quatuor libras turonenses annui et perpetui redditus habendas et percipiendas, a dictis religiosiis vel eorum mandato, super prepositura mea de Pireto, cum pertinentiis suis, videlicet in festo Sancti Johannis ante portam Latinam quadraginta solidos turonenses, et in Inventione Sancti Stephani prothomartyris alios quadraginta solidos turonenses, pro pitancia dicto conventui facienda predictis diebus sicut antea de dictis piscariis erat facere consuetum. Unde volo et precipio quod quicumque dictam preposituram cum pertinentiis tenuerit vel tenebit quocunque modo teneat vel redditus dicte prepositure levabit, quocunque modo tenuerit vel levaverit, absque fraudatione et dilatione aliqua reddat dictis religiosiis dictas quatuor libras statutis diebus sicut in presenti carta plenarie continetur. Si autem contigerit quod dicte quatuor libre diebus statutis ex integro dictis religiosiis non fuerint persoluite, volo et precipio quod prepositus de Pireto vel quicumque dictam preposituram tenebit, quocunque modo teneat vel redditus prepositure levabit, reddat predictis religiosiis quinque solidos turonenses nomine pene pro qualibet septimana dilate solutionis, postquam a dictis religiosiis vel eorum certo mandato elapso termino de solutione facienda fuerit requisitus, reddito nihilominus principali, quem redditum ego et heredes mei tenemur jam dictis religiosiis

garantizare, liberare et defendere in perpetuum contra omnes. Ut autem hec assignatio fidelius observetur obligavi jam dictis religiosis me et heredes meos et specialiter dictam preposituram de Pireto cum pertinentiis suis quo ad solvendum dictum redditum in perpetuum et penam si dictus redditus statutis terminis non fuerit persolutus ad majorem autem hujus rei firmitatem presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum anno gratie millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, mense aprili.